

1725

1. Berolinus, Gell. Christianus: Ordinis iuridici
Decanus: Doctor honoris s. p. f. (ad Dif-
finitionem Ernesti Adolphi Nestori innotescit)
2. Berolinus, Gell. Christianus: De successione anomala
in febris praesertim impensis
3. Berolinus, Gell. Christianus: De donationibus ante et
post ingressum universitatis
4. Berger, Dr. Gottlieb, de: Doctor ... cinctus acade-
micus s. p. l. (Carmen: p. p. ipsius natalitiae
dissertatoris 1725)
5. Berger, Dr. Gottlieb, de Rechts: cinctus academicus
s. p. l. (festum natalitiae Christi pri celebra-
tum innotescit.)
6. Berger, Dr. Gottlieb: De Tregano non optime
7. Chladnius, Iacobus Georgius: De jure Rektoris circa
electionem in causa alternativa.





8. Chardenius, Iacobus Georgius : De obligacione ex factis
praeoccasiois
9. Crollius, Christopherus Laurentius : De prioritatis legum
antiquioribus genere et minime discordiis aliquel
aliquo ad frequentandas recitationes publicas
- - - publicas tabulas inservit.
10. Viehrieth, James David : De differentiis errorum
et in historian praescios practicarum fabritiarum
apparita.
11. Viehrieth, James David : De angelis in aurore
luminis incognitis
- 11². Galtius, James Fridericus : De barbae decorum
et praeoccisorum Graeciae et Latii maxime rati.
jorum monumentis
12. Galtius, James Fridericus : De canis barbae
decorum et praeoccisorum Graeciae et Latii maxime
rati. jorum monumentis.

13. Hollmann, Samuel Christi : De abrogatione et novitate
Christianorum erga scripturam S.
14. Jänes, Joannes Thibidamus, Recht : ... - eines academico-
et contemplatio fructus resurrectionis Christi
amantes instat
15. Kemmerichius, Vickeric. Hermann : De donationibus
coniugium iustitia.
16. ^{2, 8} Kemmerichius, Vickeric. Hermann : De consilariis
principis curatore uxoris ejusdem principis
17. Kuerelius, Gottfr. Reinoldus : Programma iuris :
Ius accepta fit. De verborum significative et
regulis iuris profundi extra ordinaria intima-
tura similique ad lectiones in illum fitulam
publicar omnes iuris cultores. .. instauratur
18. Lüdersius, Karl. Gottlieb : De belone salis fappa
rente 1. 8 Janii a 1723.
19. Menckes, Gottfr. Ladonae : De successione et novitate
naturalium in Nov. 18 c. 5 et Nov. 89 c. 12
fundata et operis un pergitante

20. Menckes, Gottfr. Lector : De principe imperii
in prouincis universis privatis factis et quan-
titatibus legi determinatae ocurrantibus
non obstricto
21. Menckes, Gottfr. Lector : De valida faberacione
mutilis Otto Velleians remunerationis
22. Schamburg, Ich. Goetz. : De aequitate et ux-
oritatis l. 2 C. de resig. vnu.
23. Weidlerus, Dr. Fridericus : De quaestione : In hypothesia
ab hypothesibz omnis literari posuit ? assert et una
philosophiae et artis practicae causatqz ad solemnia
honorum photroughticorum . . . distib. . . . invitat ^{Astronomie}
24. Wunder, Dr. Balth. Ord. iurid. . . . decanus : Lectori benvole
s. s. / (2) depositionem sollemnem Iohann. Christoplor.
Pfefferkari invito.)
25. Wunder, Dr. Balth. : Ord. iurid. . . . dec. : Lectori benvole
s. s. / (2) depositionem sollemnem Iohann. Georgii Celle
sonii invito.)

- Bibliotheca
h-k
26. Werner, James Fothering, Ordini iuridici
Prolegamus lectri benevoli s. I. (ad Deputationem solen-
tem Dr. Gaspri Schauburgi insitam.)
27. Werner, Fr. Ball: De beneficio ordinis seu excus-
ationis processus extraneo ad normas creditorum
- - - competente.
18. Werner, Fr. F. S: De paucis infractionibus in operi
vero regimotis ad illas infligendas - necessariis





1364.

J. J.
DISSERTATIO JURIDICA IN AVGVRALIS

DE

BENEFICIO ORDINIS

SEV

EXCVSSIONIS

POSSESSORI EXTRANEO ADVERSVS
CREDITOREM, SIVE EX GENERALI, SIVE
SPECIALI, HYPOTHECA AGAT,

CONTRA SPVRIAM

NOVELL. CXII. CAP. I.
INTERPRETATIONEM, COMPETENTE.

QVAM

PRAESENDE

DN. JO. BALT. WERNHERO

JCTO

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI ET SAXONVM
ELECT. A CONSILIIS AVLAE ATQVE JVSTITIAE,
ORDINARIO ET ANTECESS. PRIMARIO ETC.

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQUE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALLA

CAPESSENDI

IN AVDITORIO MAJORI

AD D. FEBR. M DCC XXV.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS

IN PVBLICO ERVDITORVM CONSESSV

DEFENDET

A U T O R

JO. CHRISTOPH. PFRETZSCHNER

OELSNITIO VARISCVS.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.





J. J.

PRAEFAMEN.

Romanos difficulti sane atque incerto semper jure usos fuisse, inter omnes jam jam constat. Sive enim illos, ab Urbe condita Regibus adhuc subjectos, sive, libera iterum Republ. ipsorum facta, in populari statu constitutos, sive denique sub imperiali auctoritate, summa nimirum omnium rerum in Augustum, ejusque successores, unanimi ipsorum suffragio collata, viventes consideremus, facil omnino negotio turbatissimam LL. rationem, illam præcipue, qua, regibus ejectis, ipsi suam vim ac potestatem firmare decreverant, conspicere licet. *I. 2. §. 3. ff. d. O. 7.* Variæ enim circa LL. noviter ferendas lites seditionesque PATRIOS inter TRIBVNOS QVE plebis intercedebant, quibus maxime incertum ipsorum jus redditum; multis quoque nœvis, variisque difficultatibus, scatere incepit, ita ut innumeris sane LL. ab exteris nationibus, Græcis in primis, a) petitis, inque ordinem XII. Tabb.

A 2

reda-

a.) Teste LIVIO *L. III. c. 33.* DIONYS. HALICARNAS. *Lib. X.*

redactis, Prudentum quoque acceſſerint interpretatio-
nes, qui publica poſtmodum Imperatoris auctoritate
LL. vim, obſcuritatibus ſatis impeditam, explicare, ve-
rumqne, ſi fieri alias ab iſis potuerit, populo ſenſum,
a majori parte comprobatum, tradere tenebantur. b)
Quibus rebus ita constitutis, talis modi ſane fata ſu-
bire ac perpeti oportebat Romanorum jura, ut multo
majora exinde resultarint incommoda, quæ nec noſtra
ætate, qua multo ſplendidius edoceri jura atque excoli
cœperunt, ſuperari ac e foris noſtris penitus eliminari
poſſunt. Accedit, variis quoque traſtu temporis, ex
diverſa jurium exoticorum collectione, irrefluſe anti-
nomias c), quas tamen, cum indies magis magisque
Veterum JCtorum placita colligi insuper, Juraque eo-
rum ſententiis incerta reddi cœpiffent, Imperator Ju-
ſtinianus non admittendas eſſe, docet in l. i. §. 15. C. de
V. Jur. Enuc. ibidemque, ut jura interpretaturus ani-
mum, ad omnes contrarietatis fines diligenter intendere
feſtinet, probe adhortatur. Sed, si dicendum,
quod res eſt, illos omnino majora defendendæ ſuę opini-
onis argumenta inventuros eſſe credo, qui LL. ci-
viles huc & illuc ſibi invicem ſepenumero contrariari
largiuntur. d) Multum equidem ad contrarias ſibi in-
vicem

b) Vid. JAN. VINC. GRAVIN. de Orig. Jur. Ciu. p. m. 44. 45. Ante
Augusti vero tempora publice respondendi jūs non a principib⁹ daba-
tur, ſed qui fiduciā ſtudiorum ſuorum bahebant, conſilientibus reſpon-
debam. Poſtea autem D. AVGVSTVS, ut major jūris auctoritas
bahebetur, conſtituit, ut ex ejus auctoritate reſponderent, & ex hoc
tempore peti illud pro beneficio coepti.

c) Qualem praecipue occurrere putant in l. 41. ff. de Pign. Act. j. l. 22.
ff. de Pignor. & hypoth. ſed haſ duas LL. conciliare annifus
STRYCK. ad LAVTERBACH. lit. de Pign. & hypoth. ad verb. Ob-
ſtat. l. 41. &c. LAVTERB. comp. ff. p. m. 401.

d) Haud inique tamen præ ceteris judicasie mihi videtur HVBERVS
in

vicem LL. conciliandas , accurata facere videtur interpretandi methodus, qua, in genuinis verborum significatis eruendis, & adaequatis eorundem rationibus rite perscrutandis, procul dubio uti debemus, omnes tamen graves Veterum JCtorum dissensus regulis hermeneuticis tolli posse, omnino ambigendum est; etiamsi naturam, ac hujus illiusve Juris interpretis indolem, diversosque fontes, ex quibus suas dubitandi rationes promere soliti fuerunt, cognitos probe perspectosque habuerimus e.) Hinc non est, cur diu miremur, tot tantasque haec tenus, inter solidissimos sane JCtos, lites et altercationes fuisse ortas, cum quilibet potiora, magisque ardua tuenda suæ opinionis argumenta protulisse, enixe sibi persvasum habuisse, ita, ut utrumque dissentientium latus, dubia haecce Jurisprudentiae nostræ capita, tanquam pro aris & focis, tueri atque defendere non desierit. Quam ob rem facilis negotio innumeritas istas Jurium Romanorum difficultates, eorumque nœvos, cum non fixo, in Foris nostris, pede ambulare, nec felici adeo nisi causas patrocinium querentium haec temporum nostrorum facies hodienum orare permittat, colligi posse credo. Verum enim vero, quo difficilis negotium quodpiam

A 3 pera-

in Prael. ad Inst. d. J. & J. n. ii. dicens , NEC NVLLAS, NEG MVLTAS DARI, uid. Id. in Prael. ad ff. de Hered. petit. n. 15. 16. seqq. Dissent. PER-ILLVSTR. DN. L.B. DE LYNCKER, qui in Anal. ad Locameri Inst. Iust. Prooem. §. 2. ita differit : Non etiam dantur in toto Juris corpore antinomie, nisi apparentes ; quamvis ob fragilitatem humanam dari potuissent. Illuſtr. DN. DE COCCEJI in Jur. Controv. Part. I. p. m. 968.

e) Ita quoque sentit J. VINC. GRAVIN. c. l. præf. ad cup. LL. Iuventutem : Antiquitates insuper a Juris Professoribus honeste ignorari non posse, quia obscuritatem locorum in ff. & C. occurrentium sensum, adhibitis licet longioribus interpretatum commentariis , sine earundem noritia nemo sibi divinando adipiscetur.

peragendum videtur, eo profecto majori, si modo ex genuinis fontibus dicendi argumenta derivare novimus, ulterius progrediendi amore tenebimur, præcipue cum non talis modi juris lites, quæ meras solummodo subtilitates altosque Jurium Rom. apices sapiunt, sed uberrimos potius in Foro fructus colligendos pollicentur, componere admittimur. Quapropter, cum & me haecenius eadem spes aluerit, &, ut tenues modicasque ingenii mei vires tentare aliquando non recusarem, acriter moverit, juris controversi materiam, academico quodam specimine, absolvendam suscepi, quam, uti haud exiguum in foris nostris utilitatem exhibutram spero; ita tantis etiam adversariorum dubiis involutam profiteor, ut magni nominis viri in diversas plane abierint partes, indeque incertum, pro Dicasteriorum diversitate, pronunciandi modum introduixerint. Animus nimis est, utrum Beneficium Ordinis seu Excussionis, Possessori tertio, adversus Creditorem, sive ex Generali, sive Speciali, Hypotheca agentem, semper & indistincte competit, exquirere. Et, ut eo rectius & accuratius egisse videar, nullorum auctoritate fretus, id saltim operam dabo, ut eorum rationes, qui se adversæ opinioni addictos profitentur, recenseam, easdemque, pro ingenii imbecillitate, indagem; quod ut eo felicius succedat, D E V M T E R O P T I M V M T E R Q V E M A X I M V M , ut auspicatum conatus mei eventum largiatur, precor.

CAP.

CAP. I.

**GENERALIA QVAEDAM, DE
DIVERSA EXCEPTIONVM, INPRIMIS
ORDINIS, SEV EXCVSSIONIS, NEC NON
PIGNORIS ET HYPOTHECARVM,
INDOLE EXHIBENS.**

§. I.

Exceptiones Reorum clypeos esse, quibus Actorum tela excipere, aut propulsare solent, luculentem patet *ex l. 2. pr. §. 1. 2. 3. l. 22. pr. f) ff. de Except. & Prescr. l. 10. C. b.* Omnes enim, qui ab aliis, variis ex causis conventi, in jus vocantur, jus suum iam dudum quæstitum servatur, *g) proficuo exceptionum auxilio, actionem contra se, actoribus suis competere, vel inficiari penitus, vel eandem, summo quidem & subtili jure competentem, æquitate naturali tamen destitui, excipere possunt. pr. I. & §. 1-6. de Except. præcipue, cum naturalis quædam ad dissentendum videatur homini innata facultas, qua nec ullum, ob jus nimis rigorosum & atrox, condemnari sinit, sed, ex æquo satis juris naturalis præcepto, ne alterius injuria ac detimento lo-*

ple-

- f) Conf. WESENBEC, *ad tit. C. de Exception. n. 2.* ubi definitiones a JCTo Paulo & Ulpiano in cit. LL. traditas de exceptionibus peremptoriis, non etiam dilatoris, que propriæ exceptiones non sint, intelligendas esse existimat. Aliam vero c. l. n. 4. sequentis tenoris suppeditat, utramque speciem & dilatoriam & peremptoriam comprehendentem, quod nimirum *Exceptio sit defensio, qua certis & ex iustis causis auxilium etiam tribuitur adversus actoris intentionem. Vid. CVJACIVS in Parat. ad tit. ff. de Except.*
- g) Non tamen datur de jure adduc quærendo, sed pro jam quæsito conservando, tesiſ ANT. FABRO. Rational. *ad l. ult. ff. de LL.*

cupletior fiat, l. 206. ff. d. R. I. ad excipiendum sibi, adversus rigorose agentem, competentia jura tribuit. pr. Inst. de Except. l. 3. ff. d. J. & J. l. u. C. de Except. & Prescript.

§. II.

Ex his itaque fluit, quod, cum exceptiones Juri Naturæ originem suam debeant, propterea etiam favorabiliores in jure nostro habeantur, & Reus, qui beneficiis istiusmodi uti velit, multo majorem, actore, favorem inveniat. l. 125. ff. d. R. J. Facilius enim exceptiones in Jure concedi solent, quam actiones, l. i. §. 4. ff. de Superf. l. 156. §. d. R. J. c. 5. 8. 10. & 11. X. de Except. Prescript. l. 19. pr. ff. de Condit. indeb. Postmodum autem, dum Jura apud Rom. condi coeperunt, iis confirmatae sunt, &, vel Jure civili, vel Praetorio, ulterius determinatae. L. 6. pr. ff. d. J. J. §. 7. Inst. de Exception. Sapientis enim contingebat, obligatum quempiam fuisse rigore XII. Tabb. cui tamen, ne ob Sexus & atatis imbecillitatem, aliamque sufficientem rationem, h) noceretur, aut detrimentum quodpiam accresceret, Jcti Rom. lege æquitatis naturalis ita jubente, exceptionibus suis succurrebant. l. i. ff. ad Sctum Maced. l. i. 2. §. 1. ff. ad Sct. Vellej. §. 4. Inst. de fidej. Praetores vero, etiam si tollere haud potuerint Jus Civile, per interpretationem tamen facta quedam a regula eximere, &, si illud, rigorose nimis servari omnia, jubebat, hoc adjuvare atque corrigere, non prohibebantur. d. §. 7. J. d. Except. l. 7. §. 1. ff. d. J. & J. L. i. ff. de dol. mal. & mer. l. i. ff. quod metus causa.

§. III.

Missis vero omnibus exceptionum speciebus, pro plus

h.) Quæ EX NOV. 4. c. 2. colligi potest, ubi, ob æquitatis naturalis rationem, cum fidei usq[ue] tantummodo in subsidium teneantur, principales debitores prius excuti jubentur; de quibus plura in c. 2.

pius ad ipsam rem me convertam, necesse est, ubi id in primis operam dabo, ut, quæ ad præcipuum materię hūjus explicationem, facere videbuntur, in Cap. I. ubi præ ceteris mihi occasio de Beneficii Excusionis, seu Ordinis natura, iisque, quæ ulterius circa id obser-vanda erunt, differendi obveniet, pro institui mei ratione brevissimis attingam. **E**s autem Beneficium ordi-nis seu excusionis i) privilegium quodpiam, in favorem eo-rum, qui minus principaliter tenentur, concessum ad id, ne, bonis principalis debitoris nondum excussis, ipsi cum effectu con-veniantur. **Q**uod beneficium, quemadmodum nullis Romanorum subtilitatibus nititur, sed meram Juris Na-turæ simplicitatem matrem habet; ita etiam omnibus, quorum, ut in prioris principalis debitoris bona ac facul-tates prius inquiratur, in primis interest, cum in finem competit, ut sciatur, an adhuc solvendo existat, eumque, qui accessorie & in subsidiari se obligatum dedit, per pa-ratam solutionem, aliamve, obligationis vinculum tollen-dae rationem, liberare possit. **N**ov. 4. c. 2. k) Datur autem hoc beneficium non solum fidejussionibus, autb. præsente C.

B de

i) An haec exceptio peremptoria sit, uel dilatoria, disquirit **ZANGER**. **T**b. de Except. P. II. c. 16. n. 1. 2. &c. ubi om̄ino dilatoriam esse vult exceptionem ordinis, quia opposita non perimeret actionem inhi-tutam, sed tantummodo differret judicium, ut prius principalis, vel is, qui gefit, excusat, qui si non solvendo sit, tunc denum deveniatur ad Reum. ADD. STRYCK. ad LAVTERB. p. m. 95. 5. Dr. MENCK.

Tb. & Pr. ff. de Fidejuss. & Mandat. §. XV. Etiam si vero dilatoria sit, ta-men iuxta HAHNIVM ad WESENIB. tit. de Fidej. & Mandat. post Lit. Contest. quoque candem opponi posse, vult **ZANGER** de Ex-
cept. 84. c. 15. n. 3. 4. qui simul cum BERLICHIO Concl. part. 1. cept. p. 2. n. 23. eam oppositam paratam executionem impedit, putat.

k) Non autem quavis ratione, ante JVSTINIANI tempora, opponen-dæ huic exceptioni relinquetur locus, sed prout LAVTERBACH. in Coll. Theor. Praef. rit. de Fidej. & Mandat. §. XXXIV monet, in certis tantum casibus, ab ipso ibidem recentis, ut in l. f. C. de di-vid. int. l. 1. l. 1. §. 9. ff. de Magistr. conv. l. 2. §. 1. ff. si quis om. cau-sa-
test. l. 3. §. 2. ff. de administ. rer. ad civit. pert.

de Fidej. iisdemque primis, sed etiam, qui datam ab aliis, fidejussorio jam jam nomine, fidem in se denuo, ad maiorem Creditoris securitatem, suscipiunt, Succedaneis seu Surrogatis, Rück-Bürgen. 1) etiam si pro aliis intercessuri, clausulam hanc notam adjecerint: Alles treulich/sonder arge List und ohne Gefährde. cum hisce verbis, dolum saltem ac fraudem abesse, ex communi Dd. sententia, indicetur. m) Eodem quoque beneficio uti permittuntur, qui mandato, ut fide sua contrahant, alias inducunt; Nec minus ii, qui præter reliquos se quoque in Nov. all. 4. c. 2. ita tueri iubentur, nempe qui simpliciter debitum aliquod constituerunt. arg. L. f. C. de *Conflit. Pec.* arg. Nov. 4. c. 1. j. l. 28. ff. de *Conflit. pec.*

§. IV.

Accensentur quoque horum ordini Tutores & Curatores, qui, si non omnes testatoris jussu administratio-
nem subeunt, ipsis concessam, sed nonnulli honorario-
rum vicibus obeundis solummodo præpositi, curam reli-
quos observandi, neglexerunt, & damnum quodpiam ex-
inde emerserit, omnino a suis pupillis minoribusve con-
venti, ut prius administratores principales in jus vocent, &
ab illis, utrum satis fieri ex ipsorum bonis sibi queat, au-
diant, excipere suo jure possunt. Verba enim JCti VL-
PIANI id expresse testantur, in l. 3. §. 2. ff. de *administr. tut.*

inqui-

- 1) JCtus VLPIANVS in l. 27. §. 1. ff. de *Fidej.* & Mandat. ita loqui-
tur: *Præterea, si fidejusfor exsistenter fidejusfor, siue plures, aequo hic
pertinebit ad eandem causam, in quorum persona eaque locum habebunt,
que sunt a D. HADRIANO constituta, nimurum respectu beneficii
divisionis, ob cuius Identitatis rationem locum quoque habere beneficii
um excussonis.*
- m) Consent. LAVTERB. in Coll. Th. Pr. cit. loc. §. XXXV. DN.
MENCKEN Th. & Pr. ff. cit. tit. §. XIII. CARPZ. Part. II. Conf.
XIX. Def. III. Diffent. WESENBEC. Part. I. Conf. 14. n. 17. a
CARPZOV. cit.

inquietis: hos quoque (*honorarios sc.*) excussis prius facultatibus ejus, qui gesit, conveniri oportere. *I. 4. C. d. divid.*
Tut. At, si magistratus, aut ultima testatoris dispositione, omnes ad tutelam gerendam constituti fuerint, qui collatam in ipsos administrationem neglexerunt, cum singulorum negligentia damnum pupillo in solidum dederit, *I. 38.*
§. 1. ff. de administr. *Tut.* beneficio excursionis se frustra muniunt. *n)* Secus autem sese res habet, si non nulli tantummodo administrarint, ubi quidem commune manet periculum, supina gerentium negligentia emergens, ideoque etiam singuli in solidum tenentur, *L. 55. pr. ff. de admin. tut.* reliqui tamen, quorum nulla accessit culpa, eadem ratione se, ante excussum principalem administratorem, non obligari, excipere non prohibentur. *I. f. C. si tut. vel. curat. non gesit.* *L. c. 3. §. 2. o)* Idem dicendum est, si plures non solum constituti adsint tutores vel Curatores, sed etiam omnes administrationem subierint, & unus tantum alterve eorum, male suas partes, in pupilli minorisve detrimentum, egerit. *I. f. C. d. divid. tut. p)* Quodsi vero a tutoribus Curatoribusve, pupilli sive minores impetrare nolint, ut ipsis de damno illato, ex illorum bonis satis fiat, sed statim Magistratum convenire, eundemque, ut omnia refarciat, adigere festinent; tunc omnino exceptio-

B 2

ne

n) MEVIVS *Par. VII. Decif. 216. n. 6.* consilium tradit, quo, cessante benef. excussi offici posit, ut tamen damnum, sua gestione, inferentes prius excutiantur. *Hoc remedium, inquietus, seu beneficium indulgetur tutoribus, etiam ubi ord. benef. non competit, ut, offerendo aetori sumptus & securitatem, impetrant, cum, qui gesit, prius ad solvendum compelli, atque excuti.*

o) LAVTERBACH. *c. I. tit. de tut. & Rat. diffr. §. IX.* Limitationem adjicit, hec nimirum intelligenda esse, si propter malam administrationem lis moveatur; propter omisiam enim, aut negligiam, administrationem, citra substitutionis ordinem, aequaliter ad omnes spectat periculum, ita, ut, cessante beneficio excursionis, ex aequitate divisionis tantum derur auxilium, vid. HART. PIST, *Lib. I. Qu. VI. n. 9.*

p) Vid. GODOFRED. *ad n. L. lit. b.*

ne ordinis a Magistratu, ut prius gerentium bona inquirantur, eademque excutiantur, suo jure repelliri possunt. l. 1. §. 9. ff. de Magistr. conven. Id enim perspicue exprimit IMPERATOR GORDIANVS in l. 4. C. eod. Adversus nominatorem, inquiens, tutoris vel Curatoris minus idonei non ante perveniri potest, quam si bonis nominati, itemque fidejussionis ejus, nec non collegarum, ad quorum periculum consortium administrationis spectat, excusis, non sit indemnitate pupilli, vel adulti satisfactum. Intelliguntur autem heic magistratus minores, non etiam illi, ad quos datur suprema provocatio, cum etiam adversus illos tantummodo actio concessa legatur, in L. 5. C. 4. t.

§. V.

Excluduntur vero ab hoc beneficio Fidejussiones indemnitas, (Schadloß : Bürgen) qui eum in eventum obligantur, si creditores, vel penitus non, vel non integrum saltem consequi possunt. Hinc sua natura istiusmodi exceptione non opus habent, cum se actori, aut sui principalis Creditori, non aliter, quam, si debitum a principaliter obligato nullus recuperandi locus superstet, obligaverint ; etiamsi præterea in accessoria obligatione expressis verbis huic beneficio renunciarint, &, contra fidejussionis naturam, juramento confirmarint. Nam, cum omne juramentum, ex substantia atque contractus celebrati indole, dijudicetur, arg. l.f. C. de Non. Num. Pec. hoc invalide contra jus inito, omne quoque juramentum, ceu accessorium, æque ac principale, vi sua destituitur, q) non obstante cap. 18. X. de Jure. & cap. si diligenti. X. de For. Compet. Quemadmodum vero omnes ferme

Jcti,

9) Vid. CARPOV. Part. II. Conf. XVII. Def. 7. FINCKELTHVS. O. 107. WESENBEC. Part. I, Conf. 10. n. 31, FRANC. de Fidej. c. 5. n. 69.

Jcti, de indemnitatibus fidejussore, respectu beneficii excussionis, ipsi competentis, rem expeditam esse, fatentur; ita eo vehementius inter se disputant, quando queritur, utrum ille, qui, ut principalem se obligavit (Der sich zum Selbst-Schuldner verschrieben) excussionis auxilio sublevari possit. Alii enim affirmativa sententia subscribendum putant, r) cum istiusmodi obligationis verba enim potius, se obstringendi voluntatem, quam specialem hujus beneficii renunciationem exhibeant. Alii negativam veriorem esse existimant, quia verba: Ich verschreibe mich als Selbst-Schuldner/ exclusiva sint, ideoque cum effectu omnino intelligenda; alias enim hujusmodi constitutum nullius plane momenti fore, verbaque adjecta nihil operari; cum tamen in contractibus, ne clausula quidem, nec ullum verbum, inutiliter & otiose debeat adponi. s) Alii denique distinctione, controversiam hancce tollendam esse, censem; (t, cum videndum sit, utrum fidejussor se ut principalem debitorem, animo novandi, an vero absque novatione, obligaverit; priori casu, omnino beneficio excussionis eum privandum esse, quia id solum, ut obligatio principaliter debentis, per constitutiva istiusmodi verba, principalem obligationem in se suscipientis, extincta sit, egisse videatur. Posteriori vero, observari debere, utrum se principalem constituens, sub certa conditio-
ne, si v. g. forsitan debitor diu solvere cunctaretur, aut sim-
pliciter se ad debiti solutionem obstrinxerit; si prius, tunc

B 3

omnino

- c) Ira statuunt SCHNEIDEW. ad §. si plures. Inst. de Fidejuss. DN MENCKEN. Tb. & Pr. ff. eod. §. XVII, BRVNREM. ad L. 4. C. n. 12. de Fidejuss. CARPZOV. Part II. Conf. XVIII Def. 2. n. 1.
- s) Ira tenent BERLICH. Part. II Concl. III. GAILIVS Part. II. Obs. XXVIII. COLER. de Prov. Execut. Part. I. c. 10. n. 305.
- t) Hancce distinctionem necessariam ducit HERING. de Fidej. Part I. c. 27. n. 23 cui accedere videtur HAHNIVS ad WESENB. Tit. de Fidej. & mand. ad verb. aut excussis.

omnino adhuc beneficio excussionis eundem gaudere, sin posterius, illi renunciasse, debitorisque principalis personam induisse, censeri. Verum enim vero, si juxta forum Elect. Sax. varios hosce Dd. dissensus examinare velimus, is, qui principalem debitorem se constituit, ab ordinis beneficio non repellitur. u)

§. VI.

His peractis, & variis personis, quibus hanc ordinis exceptionem competere dicunt, vel non, connumeratis, exquisivisse juvabit, utrum quoque illis, qui tertii res quasdam, hypothecæ nexu in alterius securitatem obligatas, possident, ne, nondum excusso principaliter debente, convenientur, competit? Ingenue autem fateri oportet, magnos sane JCtorum dissensus desuper ortos fuisse, cum multi, variis LL. & rationibus moti, haud indistincte eam concedi posse, putent, ideoque possessori extraneo, si a Creditore generalem bonorum hypothecam nacto, convenientur, saltim tribuant, ex saepius all. Nov. 4. c. 2. Aut. sed hodie C. de O. & A. aut. si debitor. C. de Pignor. neutiquam vero eam apud Creditorem, specialem in rebus quibusdam hypothecam habentem, locum invenire posse, existiment, ob Novell. 112. cap. 1. Multi e contrario e cordatiuum quoque JCtorum numero, re accuratius, juxta LL. vim, (ita enim jubetur in L. 17. ff. de LL.) earundemque ana-

u) Quandoquidem illud constituenti expressis verbis ita reservatum legitur in *Constit. Elector. Part. II. Conf. XVIII.* ib. Ob es wohl etl. davor halten, daß ein Bürger, wenn er sich als der Principalis und selbst Schuldnér obligirt, das beneficium excussionis, im Fall da gleich dem nicht renunciret, nicht vorwenden noch haben könnte, so sind doch unsere Verordnete hierinne einig, wo dem Bürgern die specificirte und ausdrückl. renunciation seiner wohlthaten nicht hinderlich, daß er sich des beneficii excussionis, wenn der Sachwalter zu bezahlen hat, gebrauchen möge ic.

analogiam, expensa, possessori tertio, adversus Creditorem, nulla ad ipsius hypothecam, sive generalis sit, sive specialis, habita ratione, quovis modo, ordinis hocce beneficium, omni jure concedere, haud dubitant, quia contrariae sententiae faventes ex d. *Novell. u2.* eandem nondum satis evicerunt, nec illam prioribus & ff. & *Cod.* textibus, ceu correctoriam, derogasit, & Creditori res quasdam, in ipsius securitatem hypothecae subiectas, apud extraneum existentes, iterum indistincte vindicandi facultatem attribuisse, probarunt. Accuratius autem atque penitus, cum materiam hancce Juris controversi discutere, omnesque, non eorum modo, qui dissentient, sed illorum quoque rationes, qui eandem nobiscum sententiam adstruere atqne tueri, satius duxerunt, *Cap. II.* addere, apud animum constituerimus, haud diutius huic negotio immorabitur, dum ea tantummodo attingere decrevimus, quæ propius ad institutum nostrum faciunt.

§. VII.

Audivimus, possessori extraneo beneficium excussio-
nis competere, ad res, alteri hypothecæ vinculo obligatas,
retinendas, ita, ut, debitore principali non solvendo am-
plius existente, illas demum, cui in crediti securitatem
adscripta fuerunt, restituere teneatur; nunc alterum hujus
capitis membrum erit, ut, cum varia, res suas hypothecis
subjiciendi ratio, in jure nostro existat, eo, quo fieri pot-
erit, brevitatis studio, diversas pignorum & hypothecarum
naturas, perscrutemur. Constat, pignora di-
vidi solere, in publica seu necessaria, & privata seu
volun-

voluntaria; illa iterum in Legalia seu tacita w) & præatoria, hæcque in judicialia x) & Prætoria stricte sic dicta; privata vero voluntaria, in testamentaria & Conventionalia. Sed nullam horum omnium utilitatem superesse, nec hodie, quoad legalia s. tacita pignora, eandem amplius in foris Elector. Sax. sperandam esse, nemo sane negabit. Interim tamen, circa pignus conventionalis, id in primis monitum velim, maximam adhuc ejus esse utilitatem, cum sæpiissime partium conventione constitui soleat. Est vero tale, vel pignus stricte sic dictum, (ein Pfand) vel Hypotheca (ein Unterpfand.) *J. C. us* equidem MARTIANVS in L. 5. §. 1. de pign. & hypoth. dicit, *inter pignus & hypothecam nominis tantummodo sonum differre*; constat tamen,

w) Distinguere autem Dd. pignus legale solent, in Legale purum vel mixtum. Illud definunt, quod sit a sola Legis dispositione, sine ullo hominis facto, constitutum; mixtum vero, quod a lege equidem constitutum sit, accedente vero hominis aliquo facto. Sed hæc pignoris legalis divisio, neque ullam utilitatem habet, cum utrumque legale pignus, tam purum, quam mixtum, eodem effectu gaudeat, neque in iure fundata est. Propere etiam relictissime rejicitur ab ILLVSTR. DN. de COCCÆJI in Jur. Controv. de Pign. & hypoth. qu. 4. PAGENSTECH. Manip. II. scil. 182. B. LVDOVICI in distinc. ad LAVTERB. de Pign. & Hyp. ubi optime observant, aliud pignus legale, quam purum, non dari.

x) Quæ, sententia lata, debitis exsequendi modis, olim apud Rom. constituebantur. Habant autem antiquis temporibus, Romani quatuor, sententias exsequeudi, modos. Primus siebat manu militari, quæ adhibebatur, quando quis rem certam restituere jussus, judici non pareret. L. 68. d. R. V. secundus peragebat pignorum captione, intrabat enim judex cum militibus domum ejus, qui sententia parere reculabat, & toribus ciliisque effractis, pignora capiebant, quo pertinet, quod Cæsar apud Svetonium in ejus vita, n. XVII. dicitur VETTIVM, captis pignoribus & direpta supellectile, male multasse. Tertius modus siebat missione in possessionem; spectat huc totus titul ff quibus caus in poss. eatur; & quartus exercebatur carcere, de quibus omnibus multa differit HVBER. in præl. ad ff. tit. de re indicata. Cum vero modus, in locis nostris, procedendi, & sententias exsequendi, ab illo, quo Romani utebantur, multum differat, potius hoc facere videntur ea, que disposita sunt in Ord. Proces. El. Sax. tit. 39.

tamen aliis LLbus, y) in plerisque discriminari. Ceterum dividitur quoque pignus conventionale, in judiciale, (ein Gerichtl. Unterpfand) quod, præcedente prævia debitoris ac creditoris conventione, constitutum, judici confirmandum traditur, & extrajudiciale, quod mutuo tantum partium consensu suas vires accipit, & hoc est, circa quod tota hæc nostra dissertatio, si controversam juris materiam, a nobis in hisce & seqq. paginis excutiendam, spectes, præ ceteris pignorum & hypothecarum speciebus, versabitur.

§. VIII.

Conveniunt autem inter se partes, ut debitor creditori suo vel omnia, quæ possidet, bona, vel unam alteram eorum, pro debiti quantitate, partem, a judice confirmari curet, aut privata fide in crediti securitatem obliget, ex quo fluit, hypothecam esse, vel generalem, vel specialem. Illam quod attinet, omnes res tam mobiles, quam immobiles, tam præsentes, quam futuras complectitur, de his non dubitant Dd, cum IMP. JUSTINIANUS in l. X. C. quae res pignori obligari possunt, disertis verbis præcepit: *Super qua, inquiens, generali hypotheca illud quoque ad conservandam contrahentium voluntatem sancimus, ut fides suas supponere debitor dixerit, non adjecto: TAM PRÆSENTES QUAM FUTURAS, justamen generalis hypothecæ etiam adsuturas res producatur.* Multum autem inter se dissentire

C

viden-

y) Vid. GODOFR. ad d. l. 5. DN. BOEHMERVS in Diff. de diversis pign. & hypoth. juribus ILLVSTR. DN. de COCCEJI in Juv. Contrv. tit. de pignor. & hyp. Qu. I. SCHILTER. Ex. ad ff. XXXIII. §. 17. ubi præcipusa differentias pign. & hypoth. secundum jus Nat. Civile, Teutonicum, Saxonicum, Scoticum & Franconicum expofuit.

videtur, quod spectat ad res incorporales, nomina nimirum & jura, utrum scilicet, sola rerum mobilium atque immobilium mentione facta, & illa quoque his comprehensa intelligantur? Qui negant, nituntur præcipue L. 15. §. 2. ff. de re judicata L. 7. §. 4. ff. de pecul. & arg. L. 25. pr. ff. de probat. ubi nomina & jura 2) a rebus mobilibus & immobilebus discerni videamus, hinc nec debitor, bona mobilia & immobilia oppignorans, simul nomina obligasse credi possit, quia nemo suum jactare præsumatur. arg. cit. l. 5. a) Ast vero, si dicendum, quod res est, affirmativam potius sententiam L. 15. §. 2. cit. firmare videtur. Nam, si quis generalem omnium rerum hypothecam, in bonis sui debitoris constitutam, teneat, res autem, facta eorum captione ac distractione, non sufficerent mobiles, ad immobiles venire, &, his quoque deficienibus, nomina simul excutere atque distrahere licebit, hinc secundum ordinem, in c. l. præscriptum, colligere possumus, res quoque incorporales, ceteris bonis generaliter oppignoratis, contineri, cum alias JCtus ULPIANUS, quia, eum non de speciali hypotheca loqui, luculenter patet, executionem in nomina, ceterasque incorporales res, fieri non posse, dispositisset. Ad oculum præterea demonstrare amissus fuit IDEM in §. 8. c. l. sic quoque judices, ajens, exsequantur judicatum, ut nomina jure pignoris capiant, si nihil aliud sit, quod capi possit, posse enim jure pignoris capi, IMPERATOR NOSTER (ANTONINVS) rescripsit. Accedit & hoc, factam mobilium & immobilium men-

a) An sub generali quoque contineatur jus patronatus, negare videatur LAVTERBACH. COLL. Tb. Pr. Tit. de Pign. & hyp. §. 22. ubi rationes ex MERLIN. all.

a) Ita putat PAGENSTECH, Manip. II. Sicil. 182. p. m. 135.

mentionem, enixam potius debitoris voluntatem, omnia sua bona oppignaturi, significare, & res incorporales, pro circumstantiarum diversitate, modo ad mobilia, modo ad immobilia referri b). In Saxonia vero Elect. tanto minorem omnia dubitationem habent, quanto apertius confirmata legitimus in Ord. Proc. Sax. El. Tit. XLVI. §. Nach dem aber auch c).

§. IX.

Attamen creditor, ex generali hypotheca acturus, res ad quotidianum usum necessarias capere, exque iis suum, excusione beneficio, petere, non admittitur jure civili. Ita enim Ulpianus edidit in l. 6. de Pign. & Hypoth. ubi, obligatione, ait, generali ea non continentur, quæ, verisimile est, quemquam specialiter obligaturum non fuisse: ut puta suppellex, item vestis, relinquenda est debitori. Idem dispositum est in l. 7. cui additum l. 8. eod. c) Secus autem sese res haberet, si verba oppignorantis sint admodum specialia, Ich verschreibe meinem creditori alle meine Haabe und Guth nichts ausgeschlossen/ auch so gar diejenigen Stücke/ welche sonst den Nechten nach in einer general hypothec nicht begriffen sind/ sic omnino omnes suas facultates, quibus ita speciatim quoque res, quotidie necessaria, aliasque exemptæ insunt, oppignorasse creditur; cum quilibet favori, pro se introducto, renunciare possit. Cap. Si diligenter, X. de For. Compet. In Saxonia tamen Elect. etiam si haud expressis

C 2

pressis

b) Vid. LAVTERBACH. Comp. ff. p. m. 21. sub fin. eandem quoque sententiam tuerit ILLVSTR. THOMAS. in not. ad ff. b. t. p. 214. MAGNIF. MENCKEN. Th. & Pr. ff. de pign. & Hyp. §. 4.

c) vid. GODOFR. ad has LL.

pressis verbis debitor, in hypotheca generali constituenda, usus fuerit, res quotidie necessarias quoque distrahere licere, atque in eas, si cetera bona ad Creditori satisfaciendum non sufficient, executionem fieri posse, patet ex ORD. PROC. EL. SAX. Tit. 39. §. Anfänglich. Verb. und. dieselbe nicht angreiffe / es sey denn an andern fahrenden/ oder auch ausstehenden richtigen Schulden / so viel nicht verhanden/ daß sich der Creditor daran erholen könnte.

§. X.

Hisce rebus quoque, quæ generali hypothecæ simul non subjectæ creduntur, adnumerari debent res, quas in genere alienare prohibemur, ut sunt, fundus feudalis, hic enim, cum absque domini consensu, d) minus recte oppignorari possit, & nihil intersit, utrum jure tantummodo pignoris, an vero prætoria conventione e) in crediti securitatem fiat, hypothecis generaliter constitutis, non ineſt, arg. 2. f. 26. §. in generali præcipu, quia qui libet oppignorare ea tantum intelligitur, quæ liberrimæ ejus dispositioni subjecta sunt. Disertis enim verbis IMP. FRIDERICUS 2. F. 55. inquit: *Hac editiali, DEO propitio, perpetuo valitura lege sancimus, ut nulli liceat Feudum totum, vel partem aliquam, vendere vel pignorare, vel quocunque modo distrahere, seu alienare, vel pro anima judicare, sine permissione illius domini, ad quem Feudum spectare dignoscitur,*

&

d) Vid. STRYCK. ad LAUTERB. Tit. *Quæ res pignori vel hyp. dat. ubi Speciale effe*, dicit, in Feudis Pomeranis, quod ex illis omnia debita, sive hypothecaria sint, sive chirographaria, etiam absque domini & agnatorum consensu inita, deficiente hereditate, solvenda sint.

e) i. e. sive pignoris instar Creditori tradatur, sive hypothecæ vinculo ligatus, apud op pignorantem maneat.

& in subsequentibus hujus sanctionis Imperatoriæ verbis, istiusmodi oppignorationes & alienationes, absque domini consensu f) susceptas, non solum de futuro, sed præterito etiam tempore, tollendas esse voluit, quia, quod ab initio de jure non valuit, tractu temporis convalescere non debet. Huc pertinet quoque fundus in dotem datus, hic enim quemadmodum nec alienari, ita nec oppignorari potest. *I. un. §. 25. C. de R. U. A. Placet itaque nobis eandem observationem non tantum in Italicis fundis, sed etiam in provincialibus extendi, cum ad hypothecam (ei) etiam ex hac lege, donavimus : sufficiens habet remedium mulier, et si maritus fundum alienare voluerit. Sed, ne & consensu mulieris hypothecæ ejus minuantur, necessarium est, & in hac parte mulieribus subvenire, hoc tantummodo addito, ut fundum dotalem, non solum hypothecæ titulo dare, nec consentiente muliere, maritus possit, sed nec alienare, ne fragilitate naturæ suæ in repentinam deducatur inopiam, j. pr. I. quibus al. licet.*

§. XI.

Eadem prohibitio impedit, 'quo minus' instrumenta rustica oppignorari possint. Imp. enim, CONSTANTINUS in L. 7. ff. que res pignori HONORIUS & THEODOSIUS in L. 8. eod. res ad agrorum culturam pertinentes, pignorum jure occupari, prohibuerunt, & ne in rusticorum instrumenta fiat executio, gravissima pœna, in harum LL. transgressores, statuta est, in auth. agricul. c. 1.

C 3

Si

^{f)} Vid. FINCKELTH. Disp. IX. Qu. II. VULT. L. I. c. 10. n. 43. WESMB. de Feud. c. II. n. 5. Dissent ROSENTH. c. 9. memb. i. qu. 14. WURMSER. Tit. 55. Obs. 18. H. HARTM. Tit. 54. Obs. 20.

Si quis signa hujusmodi flatuta temerario ausu violare præsumserit, in quadriplum g) ablata restituat, infamie notam ipso jure incurrat, Imperiali animadversione nihilominus puniendus. h) In Saxonia tamen electorali, id extra dubium est, executionem etiam in instrumenta rustica fieri posse, teste O.P.S. EL. tit. 39. §. anfänglich. item, so eitter zu seiner Kunst dergleichen Arbeit bedürffig / auch die Pferde / Ochsen u. Huc porro pertinent jura prædiorum, v.g. Servitutes, aliaque privilegia, illis inhærentia, per expressam l.u. §. 3. ff. de pignoribus. Denique etiam res, quas dicimus communes, in solidum nostris creditoribus, pignoris, vel hypothecæ, jure adscribere, non permittitur, ob l.un. C. Si commun. res pign. i) Suam autem competentem partem, nemo Sociorum, qui & eandem alienare potest, alteri, in accepti debiti fidem, dare prohibetur. Insigni autem hoc in passu privilegio gaudet Fiscus, quod, si cum aliquo privato rem teneat communem, hoc quoque invito, totam rem communiter possessem, in aliud penitus, vel dominii, vel saltem pignoris, seu hypothecæ, jure, transferre queat. In Armis porro alteri pignus, vel hypothecam

g) Nollem tamen dicere, hanc Leg. præcipue ejus penalem sanctiōnem, apud Germanos, receptam unquam fuisse.

h) Rationes hujus legis evolvit ILLUSTR. DN. de COCCEJI in disp. de eo quod justum est circa rustic. in mater. Feud in Proœmio Tom. I. p. m. 1306. VID. LAUTERB. COLL. TH. PR. Tit. Quæ res pign. vel hypoth. obligari non posse. §. VI.

i) Vid. BRUNN. ad d. l.un. C. Si comm. res pign,

cam constituere, non licet. k) per dicta, a JCTO PAULO
arg. L.14. §. 1. de re Milit. Arma alienasse, inquit, grave cri-
men est, & ea culpa desertioni execatur, quam legem con-
firmare videtur l. f. C. de rebus alien. non alien. Quæ
omnino hodie, etiamsi militum nostrorum jura, in quam
plurimis capitibus, a Romanorum juribus differant,
multo minus mutata creduntur, quod militum Romanorum
arma, ipsorum propria, fuisse, nostros autem mili-
tes mercenarios esse, armaque, ceu res alienas, & ad Princi-
pem spectantes, possidere, constat.

§. XII.

Superest, ut etiam de rerum, speciatim oppignorata-
rum, accessionibus, an & has hypothecæ nomine com-
prehendi, juris sit, pauca addamus, cum, varia ratio-
ne, res sensim quoque sua augmenta recipient, prout in
fundis, per haud provisam alluvionem adauctis, videre li-
cet.

-
- k) Argumento corum, quæ de armorum oppignoratione juris esse di-
cuntur, plerique JCTorum, & præcipue LAUTERB. COLL.
TH. PR. Tit. in quibus cauf. pign. vel hyp. tacite contrahab. §. 13.
& Tit. seq. §. VI. alique, oppignorationem librorum, a stu-
diosis & Dd. factam, etiam inefficacem esse defendant, quia arma
militum & libri studiosorum pari passu ambulent. Sed omnes,
qui ita sentiunt, propterea perstringuntur ab ILLISTR. THO-
MASIO in not. ad ff. qua res pign. &c. p. m. 218. dum ait: In-
epit argumentantur ab armis militum quidam Dd. ad libros studiofo-
rum, quia libri studioforum non sunt res alienæ, uti arma mili-
tum nostrorum, & quia Germani magis comparant libros studio-
forum cum instrumentis rusticis, juxta dictum vulgare: Die Fe-
der ist mein Pflega; haec sententia Viri Illustris, prohibitionem op-
pignorationis librorum negantis, optime quidem fere habet, sed
rationes ejus mihi non adeo arrident, meliores deprehendimus
apud Illustr. Dn. de COCCEJI in Jur. Controv. tit. quibus cauf.
pign. tac. contrah. Qu. 15.

cet. De his itaque JCtus MARTIANUS in L. 16. pr. de pign. & hypoth. perspicue disposuit: *Si fundus, ajens, hypothecæ datus sit, deinde alluvione major factus est, toties obligabitur*, cum accessoria, sive civilia, sive naturalia, semper naturam induere dicantur sui principalis. Eademque juris disponendi ratio servanda in fructibus rerum oppignoratarum, cum pars fundi censeatur in l. 44. de R. V. & expressis insuper verbis IMP. ALEXANDER præcipiat in L. 3. C. in quibus caus. pign. ibi: *Quamvis fructus pignori datorum prædiorum, &c., si id aperte non sit expressum, & ipsi credantur, facta poctione, inesse &c.* Atque ex his fluit, fructus ex pignore natos, pignus quoque sequi, 1) etiam si debitor fundum alienaverit, ita, ut ante, & post hanc venditionem factam, fructus exinde nati maneant in bonis vendoris debentis, adeoque & pignoris vinculo adhuc creditor obligati existant, modo tamen traditio nondum accesserit, quia, hac jam facta, fructus & accessiones, inde venientes, illi, qui emit, acquiruntur, & jura pignus in rebus, quæ non amplius debitoris propriæ sunt, tanquam in re aliena, constituere, non permittunt.

§. XIII.

Cognitis itaque omnibus, quæ pignorum & hypothecarum naturam recipiunt, debitoris bonis, facilius nunc erit dignoscere, quæ Creditori bona, si a tertio possessore ordinis seu excussionis beneficio, ut prius in facultates sui de-

1) Obstant equidem L. 18. §. 2. de Pignorat. Act. & L. 29. §. 1. ff. de Pign. & hypoth. L. 1. §. 2. L. 26. §. f. L. 1. §. 1. 2. L. 18. §. 3. de Pignor. act. Sed omnia haec dubia, huic doctrine obmotu, diluit ILLUSTR. Dn. de COCCEJI Jus. Contr. tit. de Pign. & Hyp. Qu. IX. PAGENSTECH. Man. 4. Sicil. p. m. 203. seqq.

debitoris inquirat, repulsus fuerit, in excussionem tradere liceat. Omnia enim, quæcunque adhuc sua possessione tenet debitor, nisi obligata sufficient, excussionis judicio omnino exposita sunt. Jure equidem civili ordo, qui in excutiendis debitoris bonis servari debet, Creditori, si omnes facultates debentis obligatas habet, praescriptus est in l. 15. §. ff. de Re Jud. quemque etiam antea confirmatum habuerunt Saxones, sed nunc liberiorem distracthendi licentiam acceperunt in ORD. PROC. SAX. ELECT. NOV. ad Tit. XXXIX. s. Ob auch wohl ibi. So setzen und ordnen wir doch hiermit/ daß in Zukunft in des Creditoris freyen Willen stehen solle/ ob er solche execution in die mobilia, oder in die immobilia, oder auch auss die nomina und Actiones, als deren eydl. Anzeige von Bellagten zufordern/dem Kläger allenfalls zugleich frey stehet/ zuerst vollstrecken lassen wolle. Facultas autem, ita debitum, per excussionem debitoris, recuperandi concessa, suos limites iterum, apud tales debitores, admittit, qui benef. competentia gaudent. l. 16. ff. de Re Jud. m) j. L. 49. eod.

CAP. II.

Quod genuinam Nov. CXII. c. i.
 interpretationem sistit, spuriam removet,
 aliaque speciatim hoc spectantia
 exponit.

§. I.

Nullos, quos in veterum scriptorum annalibus inventire, ac legere, contingit, gentium ritus, nullasque D earum,

m) Vid. ad hanc legem, BRUNNEM.

earum, quibus se regi patiebantur, LL. observare unquam nobis licuisse, credo, quas tanta copia latae, recentioribus expositas, & saepenumero correctas invenimus, quam quibus Romani, ab origine sua, uti, iisque lites inter se ortas componere, soliti fuerunt. Namque obvenientes, in ipsorum foro, controversias, aliter jure digestorum, aliter Codicis, aliter quoque Novellarum Sanctionibus, decisas, huc & illuc reperimus, ut adeo haud mirari debeamus, cur hodiendum adhuc, ob tantum LL. quæ sibi invicem derogant, numerum, lites interdum & altercationes, circa hunc illumne Juris casum, secundum genuinas LL. receprarum interpretationes, decidendum, saepius a JCTis moveantur, nulla sane alia ratione ad hoc perductis, quam quod LL., de uno eodemque negotio disponentes, sibi invicem derogasse, crediderint, alii vero, easdem de distinctionis plane casibus loqui, putarint. Quæ ita sese habere, luculentius illustrabit ea, cuius saepius jam jam in nostra dissertatione mentionem fecimus, Juris controversi materia, quam hoc capite II. allatis utriusque partis rationibus, examinare decrevimus.

§. II.

Audivimus nimirum supra §. VI. cum de personis, quibus excusionis beneficio se tueri liceat, egimus, idem possessori extraneo, præ ceteris etiam competere. Nunc illud, non in generali solum, sed speciali quoque constituta Creditoribus hypotheca, eidem tribuendum esse, nostrum est, evincere. Haud eadem vero apud Romanos olim LL. de hoc negotio disponendi ratio erat, sed Jure Pandectarum & Codicis, quando debitor solvere cunctabatur, competit faculta Creditori eligendi, utrum actio-

actione adversus suum debitorem personali, an vero hypothecaria, adversus quoscumque possidentes, agere vellet; & ita intelligi debet L. 10. de pign. & Hyp. n.) De fisco autem aliter disponere videtur L. 47. ff. de Jure Fisci, quia tantum haeredes, si quos reliquisset Fisci debitor, prius excutiendos esse, quam ad pignorum possessores pervenire liceat, sancium, idque expresse quoque confirmat IMP. GORDIANVS, in l. 1. C. de convenient. Fisc. deb. non iusta, inquiens, ratione desideratis, repromissa Fisco indemnitate, eos priori loco conveniri, qui reliqua contraxerunt, mox ad vos conveniri, qui ab his quedam mercati estis.

§. III.

Tractu vero temporis, liberam hancce, suum consequendi, rationem, tanquam Jus Vetus, IMP. JUSTINIANUS d. Novell. 4. c. 2. penitus correxit, ibidemque, ut prius illos, cum quibus contraximus, excutiamus, praecepit. Nec inique; cum omnino naturali æquitati magis consentaneum sit, eos, cum quibus nullum unquam negotium fuit, ultimo loco conveniri, & ad peram & saccumusque principaliter debentes prius excuti debere. Quemadmodum vero de hypotheca generali, quod credito-

D 2

ribus,

n) Vid. BRUNNEM. ad h. l. ubi dicit: *Quando autem hac interpellatio extrajudicialis facta est, tamen adhuc iure veteri creditor elecionem habet, utrum debitorem principalem, an vero possessorem pignoris convenire velit, nec potest creditor compelli, ut debitorem prius actione personali conveniat, per L. 14. eod.* Ubi equidem BRUNNEMANNUS putat, hanc legem temperatam esse ex Novell. 112. c. 1. per auth. Hoc ita eod. Quod concedimus ipsi, si intellecterit de jure Novellarum, non etiam codicis, quandoquidem hoc & ff. jure semper in arbitrio Creditori fuit, quemnam prius convenire vellet. Consentit ILLUSTR. DN. de COCCEII. Jur. Contr. de Pign. & Hyp. qu. 14. FRANZKIUS Lib. I. Ref. XII, num. 4. p. m. 184.

ribus, secundum verum *Novell. 4. c. 2.* *) sensum, adver-
sus tertios possessores agentibus, exceptio, ut prius suos de-
bitores exutiant, objici possit, res omni dubio caret, ita
summa animorum contentione, inter juris nostri in-
terpretes, quoad specialem hypothecam, disceptari solet.
Qui, exceptione ordinis, Creditorem, ex illa agentem, re-
pelli posse, negant, provocant ad *Novell. 112. c. 1.* & ex ea,
sua dicendi argumenta, adversus secus sentientes, petere an-
nituntur. Non abs re erit, d. *Nov.* verba, de quorum ge-
nuina interpretatione jam cogitamus, heic melioris per-
lustrationis gratia adjicere.

§. IV.

Exposuit nimirum IMP. JUSTINIANUS, in d. *Novella Conf.*
veram rerum litigiosarum indolem, nec minus, de decima li-
tis parte, pauca disposuit. De hypothecis vero, a rerum litigiosarum
natura separatis, ita sanxit: *Ab hoc autem LITI-
GIOSO VOCABULO* hypothecas *SEPARARI* decer-
nimus, & in his hanc distinctionem teneri: Ut, siquidem spe-
ciales res mobiles, vel immobiles, aut se moventes, nominatim
fuerint hypothecæ suppositæ, liceat quidem debitori eas cui, &
quando, voluerit, vendere: Sic tamen, ut EX PRETIO ea-
rum,

*) Dubitarunt equidem multi, utrum hæc *Novell. 4. c. 2.* etiam ad Creditores hypothecarios spectet, cum de fidejussionibus tantummodo, mandatoribus, sponsoribus & solutionibus inscripta sit, sed FRANZ-
KIUS hisce dubius omnibus obvenit, eademque solvit *in cit. Ref.*
XII. n. 78. Præterea etiam hæc ab inscriptionibus desumpta argu-
mentandi ratio nihil evincit, utri & infra h. cap. §. XIII. in not. ul-
terius demontrabitur Conf. HEINR. LINCK. in *Discuss. Jurid. de*
Rubro, Nigro & Albo Cap. I. n. 16. 17. 18.

*rum, usque ad debiti quantitatem, SATISFACIAT creditoris.
Si autem debitor non fecerit, damus LICENTIAM creditori,
qui rem venditam suppositam habet, eandem rem VINDICARE, donec ei satis pro debito fiat.*

§. V.

Et, ut ordine suo omnia peragantur, IMPERATORIS prius mentem, paucis verbis exponere, verumque *d. Novell. sensum eruere, volumus. Nimirum, cum res certas, Creditori, in debiti securitatem, datas, apud tertium jure aliquo existentes, iterum ab illo, actione hypothecaria revocari, saepius observaretur, mirum sane id multis visum est ita, ut hypothecas, pro rebus litigiosis, reputarent. Sed hanc ipsorum dubitandi rationem IMPERATOR in all. Novell. Constitutione per verbum: separare, penitus tollere, nec ullum hoc in passu discriminem, inter generales nimirum & speciales, admittere, sed id saltem de speciali hypothecarum constitutione præcipere videtur, ut, si debitor rem specialem, sive mobilem, sive immobilem, hypothecæ vinculo obligatam, distraxerit, & de pretio rei, extraneo venditæ, non satisfecerit Creditori, huic licentia sit, iterum a tertio possessore rem vindicandi. Neutiquam vero exinde, ac si debitor bona oppignorata distrahendi facultate destitutus sit, colligi debet, sed ea expressis ipsi verbis reservata legitur in l. un. C. rem alienam gerens. ubi IMPP. SEVERUS & ANTONINUS: non est, inquit, interdictum tutoribus vel curatoribus, et si ex eo titulo judicati debitores sunt constituti, cum sua causa res suas alienare; salvo tamen pignoris & hypothecæ jure. Nam cum res cum onere transfear, pignus autem sit jus reale, omnino etiam id, per alienationem, ad quoslibet possessores transit.*

transit. Rationem invenimus in l. 15. C. de Pignor. Nec quicquam interest, utrum res, a debitore alienatax, creditori generaliter, an specialiter, obligata fuerint; p) nec obstat, debitorem, si speciales oppignoratas res alienaverit, in furti q) & stellionatus crimen incidere, cum hoc demum casu, se hujus delicti reum faciat, si (r.) callide vendidit homini incognito, & qui facile conveniri nequit, (s.) pignus creditori penitus traditum, iterum furatus est, & alii iterum vendidit. Ita enim intelligendæ sunt l. 19.
§. 5. ff. & L. 66. ff. de Furtis.

§. VI.

E vicimus haec tenus, debitoribus liberam, pignora alienandi, facultatem, in LL. reservatam esse; eam tamen ean-

tenus,

p) FRANZ K. Exercit. ad ff. tit. de distraet. l. pign. n. 9. equidem distinguunt inter pignus generale & speciale, de pignore speciali, quod cum onere ad quoslibet possessores transcat, affirmans, de generali vero negans. Verum nullam heic distinctionem agnoscendam esse, patet ex c. l. un. quæ ubique etiam & in omnibus, hypothecis, ob identitatem rationis, locum invenit. Nam cum bona, pupilli tacite obligata, valide a tute ad alios transferri possint, cum tamen multis privilegiis ac beneficiis præ omnibus in Jure uti permittantur pupilli, multo magis alienatio bonorum, expressæ hypotheca vinculo obligatorum, procedet.

q) Notandum est, quod ILL. THOMAS ad HUBER. in tit. ff. de pign. & Hyp. n. 7. inter L. 66. pr. de furtis & L. 3. §. 1. de crimin. Stellionatus antinomiam esse, sibi persuadeat. Sed adstipulari ego malim B. TITIO, qui in OBSERV. ad LAUTERB. has de re ita differit: Illi fluctus in simpulo movent, qui inter d. l. 66. pr. de Furt. & L. 3. §. 1. de Crim. Stell. pagnam esse arbitrantur; Nam furtum committitur ratione Creditoris, stellionatus vero intuitu eutoris, qui dissimilato pignore decipiatur, prout diversus iste respectus in ipsis texibus indicatur, add. l. 1. §. fin. de Pign. act.

tenus, quatenus lite, r) super rebus hypothecæ subjectis
mota, nihilominus distraxerunt, nec, ex pretio rei venditæ,
Creditoribus satisficeri curarunt, invalidam judicari debere,
patet ex sœpe *all. Novell. Conſtit. 112.* Non tamen sola debi-
toris distractio negotium reddit nullum, sed illius insu-
per, qui rem pignoris qualitate affectam scivit, & ean-
dem, in Creditoris fraudem, emiit, mala fides accedere de-
bet; s) quod inde apparet, quia debitor per pignoris, in li-
tem a Creditore deducti, distractionem, nullum plane, b. f.
ementi, & naturam rei venditæ nescienti, præjudicium affer-
re, nec ejus conditionem, absque ipsius culpa, deteriorem
reddere potest. Hic enim impeditre non voluit, quo mi-
nus ex pretio debitor suo creditori satisfaceret; hinc non
obstat, quod, qui cum alio contrahit, vel sit, vel esse de-
beat, non ignarus conditionis ejus. *k. 19. pr. ff. de R. J. Secus*
vero, si rem, de qua inter creditorem & debitorem judicium
cœptum est, sibi acquirere voluerit, & Creditorem, qui in
crediti fidem rem hypothecæ submissam tenet, deliberata
mente

r) Nam cum IMPERATOR in antecedentibus egerit de rebus, quæ
omnino litigiosarum naturam recipiunt, & deinceps hypothecas a
litigiosis separant, omnino discrimen aliquod intercessisse creden-
dum est, alias a rebus litigiosis hypothecas secernere, nec opus ha-
buerit.

s) Vid. ILLUSTR. Dn. de COCCHEJI *Jur. Contr. Qu. 14. FRANZK.*
L. I. Resolut. XLII. num. 29. ibi : Patet, quod *supposta etiam lite,*
non de omni posſeffore rei pignorate, sed jaſtem entore, & quidem III.
in ſpecie, qui ſervit qualitatem pignoris in re emta, & non id operam
dedit, ut ex pretio Creditori ſatisfactum fuerit, arque ita, qui quafi in
fraudem illius mercatus fit, diſpoſitio d. c. I. acciendiā fit. Male
itaque hinc in genere inferitur, quid Creditor indifferenter, pro omnib[us]
hypotheca ſpeciali recta posſefforem quemcunque, non excufo
principali debitore, hypotheca actione experiri queat, & pejus statui-
tur, quod per banc conſtitutionem d. NOVALLÆ. 4. hac in re dero-
gatum fit.

mente defraudatum iverit, tunc enim, si, instituta a Creditorie rei vindicatione, in Novell. 112. ipsi concessa, rem restituere tenetur, sibi imputet, egiſe id, quod jure prohibatum. l. 203. ff. de R. O.

§. VII.

Majorem vero sententiaꝝ, hucusque expositaꝝ, lucem aſſerre credo, ſi diſſentientium quoque arguments perluſtemus, eademque, utrum nos, ad ipsorum partes, flectere queant, examinemus. Et præcipuum quidem eorum, qui ſe contrariaꝝ parti annumeratos volunt, P A G E N S T E C H E R U M t) Acad. Græning. J C t u m , adverſarium habemus, qui cum aliis, ſibi addictis, excuſionis beneficium, in hypotheca ſpeciali, cefſare per ſapius all. Nov. muſcule defendit. Putat nimirum Vir Celeberrimus cit. in not. loco, JUSTINIANUM IMP. ibidem novelli quid, ſive novi juris, voluisse inducere, quod vel ipſa Novelle appellatio in dicet, & ex ipſis verbiſ dicti §. ibi : decernimus, da mus, præcipimus, clarissime pateſcat. Quod facili negotio largimur, ſi novum jus, respectu beneficii excuſionis, in ſpeciali, Novell. 112. c. 1. proposito, ibidemque deciſo, caſu, cefſantis, introductum putet, ſecus, ſi Novellam illam IMPERATORIS conſtitutionem toti Novelle. 4. c. 2. quoad hypothecas ſpeciales, penitus derogaſſe, exiſtimet. vid. rationes in præced. §. V. & VI. Concedimus quoque, ſecundum ipſius mentem in d. Novell. diſtinctionem aliquam ad eſſe, & quidem novam, hancque conſiſtere in eo, ut Creditor,

t) In IRNERIO INJUR. VAPUL. Coit. 8. & Manip. IV. Sicil. ad LAUTERB. p. m. 208. ſqq. ubi rationes quam pluriſtas attulit.

ditor, donec ei satis pro debito fiat, rem in specie supponitam possit vindicare, nec dissentimus, hanc vindicandi facultatem, cui scil. ordinis beneficium obstitisse, monet *Vir Consultiss.* demum in hac Novell. creditori fuisse concessam, quia IMPERATOREM eam, ne debitori distrahenti, novoque emotori, sua fraus prosit, creditori deditis, supra evicimus. Largimur quoque *Viro doctiss.* vid. §. c. l. p. na. 209. venditionem scil. per se alias subsistentem, statim tribuere creditori ius vindicandi, & huic juri nihil debe re obstatulo esse, nisi, (α) Satisfactionem Creditoris, que per solutionem debiti fit, & (β) prioritatem alterius hypothecæ; Cum in eo in primis IMP. JUSTINIANUM a Novell. 4. c. 2. recedere, & novi quidpiam, circa specialem illum in Novell. 112. c. 1. propositum casum, introducere voluisse, ex ipso textu appareat, nondum tamen exinde, Novelle 4. quantum ad speciales hypothecas pertinet, u) per Nov. 112. c. 1. penitus derogatum fuisse, colligere licet.

§. VIII.

Pergit *Vir Consultissimus*, dicens : *Quod jus novum, quoad hypothecas speciales, velit vindicationem pignoris præcedere, satisfactionem pro debito sequi, ex verbis Novell. ibi:rem in specie suppositam possit vindicare, donec ei satis pro debito fiat. At in generali hypotheca, vindicatio pignoris actionem personalem debet sequi, minime præcedere.* Verum haud video, quid hisce probare voluerit, quandoquidem sensus Nov. 4. c. 2., prius debitorem personali actione con-

E

venien-

u) Nam, quæ Imperator de specialibus in cit. Nov. 112. disponit, non de generalibus intelligendum puto, ex verb. cit. Nov. 8. §. Ex quo Jane claret. &c. vid. FRANZK. c. 1.

veniendum, quam vindicationem adversus tertium instituendam esse, expresse id servari jubet, & Nov. 112. omissa personali actione, statim rei ad alium translatam vindicationem, creditori concedit. Præterea ad nostram rem facere videtur, quod d. I. D N. PAGENSTECHERUS, hypothecas a litigiosi vocabulo JUSTINIANUM separasse, effectum attamen illum prohibita alienationis ad speciales hypothecas applicasse, fassus fuerit, x) cum sic, actionem personalem, ob naturam litigiosi, quam omnes hypothecam imitari consentiunt, necessario cessare, & potius rei vindicationem institui oporteret, dicendum sit ex verb. *Novell. Damus Creditori licentiam*, quæ idem illud novum jus, ut creditor non ex contractu, vel ad crediti solutionem, vel rem in illius securitatem datam nanciscendam, adversus suum debitorem experiri debeat, sed pignus a tertio possessum vindicare queat, inferunt.

§. IX.

Nec contrariam sententiam adjuvare nobis videtur, quando ulterius *Vir Consultissimus*, ad eam firmandam, excipit: *Accedit, inquiens, & indoles Juris in re, quæ regulariter actiones reales adversus quemcunque possessorem extendit, sine metu opponenda exceptionis: At naturalia cum presumantur inesse, per vulgata, presumemus & inesse huic Nov. 112. c.l.*

Præ-

x) Idem afferit consentiens FRANZK. c. I. n. 31. *Etsi vero, inquiens, rei hypothecate diffractione, vitium litigii non contrabatur, quia tamen IMPERATOR illi certam formam prescripsit, illius transgressio in effectu tantundem sero operatur, quantum alias litigii vitium, quo aliae res imbuta sunt. Qua de causa & statim non minus, atque ubi res revera litigiosa facta, sine novo processu, sententia in judicio, inter debitorem & creditem suscepto, lata, contra tertium possessorem executioni mandari potest, si tempore translationis pendentia litigis ipsi constituit, ut pulchre tradit COVARRUV. pract. Quest. 15. num. 7.*

principue cum sibi aliquantisper, (id quod pace tamen Cœlerrimi Viri dixerim,) contradicere videatur. Nam supra y) actionem hypothecariam, aduersus quosvis possessores, ipso jure institui posse, & his tantummodo beneficium ordinis seu excusionis competere, afferuit; jam vero h.l. illam, sine metu opponenda exceptionis, dari, statuit. Omnino quidem nos fateri oportet, eam esse actionum realium indeolem, ut aduersus omnes rem possidentes competant, non obstante, illas interdum exceptionibus quibusdam declinari, atque elici posse; negamus autem hocce naturale, quod creditor, absque prævia debitoris excusione, hypothecaria contra tertiam experiri possit, huic actioni inesse, cum jus, in singulari quodam casu, ita libere aduersus possessores agendi, heic oriatur ex peculiari IMPERAT. constitutione, scil. Novell. n^o. 6. c. 1. alias enim, cum exceptio ordinis experiundi arbitrium non impedit, sed suspendat saltem, creditori hæc potuisset opponi.

§. X.

Adducit porro *Consultissimus Vir*, ad theseos sue probationem, ex HAHNIO ad WESENB. de dist. pign. numer. 1. locum, quem hic adducere
E 2 luet

- y) Eodem Manip. IV. scil. p. m. 207. §. II. vers. Respondeo; ibi. *Actio hypothecaria omnino datur contra possessorem ipso jure, sed hic habet tantum exceptionem dilatoriam ordinis sive Excussionis, vid. Nov. 4. c. 2. l. c. 1. ibi;* veniatur, Servetur, at exceptiones actionibus jure competentibus regulariter opportuntur. & in specie dilatoriae actionem non perimit, sed tantum differunt, atque interim non competere faciunt, quedam etiam, quas intentionis vocant, impediendo ipsum litis ingressum, ad quarum classem referunt & hanc GAIL. Lib II. Obs. 27. num. 5. 6. Quinimo hoc ipsum, possessorem scil. rei oppignorata habere beneficium ordinis, ad solam pertinet hypothecari generali. In speciali enim manet regula: *Actio hypothecaria datur contra omnem possessorem indistincte, i.e., etiam non excusso principali debitore, Nov. n^o. 6. c. 1. vers. ab hoc litigiosi.*

Iubet; ibi: Sondern es hat auch selbige Novella in sich die ration, quod re, quæ specialiter obligata est, vendita, creditori magis noceri possit, quam ubi is generalem hypothecam habet, re una vel altera, ex bonis debitoris distracta, quod nihilominus ex ceteris suum consequi possit. Qua de causa & alias generalis hypotheca bonorum non impedit, quo minus servi manumittantur, quod non ita est, ubi servus specialiter obligatus. l. 1. 2. 3. C. de Serv. pignor. dat. l. 9. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth. tac. l. 29. pr. ff. qui & a quibus manumiss. l. l. 4. l. 24. 25. 27. §. 1. eod. tit. Ideoque, alienata hypotheca speciali, creditori quoque merito concessum fuit expeditius remedium in d. Nov. 112. c. 1. scil. agendi contra emtorem, ceu tertium possessorem, non excusso prius principali debitore, ut alias in Nov. 4. c. 2. requiritur. Verum enim vero, non hæ ita comparata sunt argumentandi rationes, ut, eam sententiam veritati & Imperatoris menti convenire, credamus. Nam, quod, re specialiter obligata, si distrahitur, magis noceri possit, quam in generali, penitus negamus, cum in speciali hypotheca, creditori in bona debitoris sui experiundi facultatem, æque concessam legamus in Novell. 4. c. 2. ac si ex generali jus suum persequi vellet; jam vero nullibi constitutum reperimus, quod majus detrimentum inde Creditori afferri possit, si, non excusso prius principali debitore, statim hypothecaria, aduersus tertium possessorem, agere queat; Contra ea sufficieni ratione, all. Novellam 112. c. 1. de speciali plane casu, in quo, omissa etiam personali actione, statim tertius convenientius sit, novi quid disponere, superius demonstratum est; ita, ut, præter illum, semper Novell. 4. c. 2. constitutioni locum relinqui oporteat, cum nuspian illi derogatum sit. Adhac, Creditori per res

res, speciali hypothecæ subjectas, a debitore alienatas, neutriquam magis, secundum ita sentientium opinionem, noceri, cum & aliunde, ex bonis sui debitoris sibi satisfieri, curare possit, evidenter patet ex l. 17. C. de distr. pign. ubi IMP. DIOCLETIANUS ET MAXIMIANUS, Rei, inquiunt, *Creditor, obligat generali sive speciali conventione, per Creditorem alium, cui non fuerat nexus, venundare non amittit persecutionem.* Quæ verba, eundem, pignora, sive generalia, sive specialia, persequendi modum permit-tunt, nec ulli, hypotheca speciali magis noceri, ac gene-rali, volunt.

§. XI.

Quod attinet ea, quæ dissentiens HAHNIUS c.l. cum aliis ex l. 3. C. de Serv. pign. dat. pro sua opinione stabilienda, de servo quodam, speciatim pignori dato, profert, facili negotio concedere poterimus, si modo nobiscum ex l. 1. C. de Remiss. pign. distingvere velit, utrum manumissio servi, speciali pignoris vinculo obligati, a debitore, consentiente creditore, suscepta fuerit, an vero proprio ausu, ab ipso peracta. Priori casu, licitam istiusmodi manumissionem esse, nemo negabit, cum quilibet, per c. Si diligenter X. de For. Compet. favori pro se introducto, renunciare queat, atque ita etiam creditor, in cuius quippe securitatem, servus pignori datus est. Ita enim IMPERATOR SEVERUS & ANTONI-NUS in c. l. i. de hoc negotio sanxerunt, ibi: *Ex consensu creditricis remissam pignoris obligationem adparebit, & per hoc jure manumissum, nec ab herede creditricis inservitutem peri posse, certum est.* Posteriori vero, manumissionem, deficiente Creditoris consensu, factam, inutilem esse, omnino colligi potest; cum servus, prout alia res, de qua-rum pretio Creditori non satisfactum fuit, itidem arg.

E 3

d.l.i.

d. l. i. & Novell. 112. c. 4. a Creditore, instituta rei vindicatione, condici possit, z)

§. XII.

Hinc bene *Celeberrimus Vir* notat c. l. §. V. p. m. 2II. a dissentientibus, in defendenda sua interpretatione d. Nov. urgeri solere arg. l. 27. C. de testam. ibi: *Quod mutatum non est, quis probabit stare*, supra enim ad nauseam usque, pecuniam in Nov. 112. c. 1. casum, ut neutiquam Novell. 4. c. 2. derogasse videatur, decisum esse, proposuimus, qui ad reliquos, in quibus d. Nov. 4. beneficio excussonis se generatim tueri permittitur, tanquam singularis, hand æquo jure applicari potest, præcipue, cum, ipso concedente, in novellis LL. ceu correctoris interpretandis, strictissimam utique interpretatio adhibenda sit; cum Juris Doctoribus non integrum sit, privata auctoritate, jura singulare & exorbitantia, pro lubitu, producere. arg. l. 14. ff. ad LL. l. 141. ff. d. R. 7. a) Jam vero in d. Novell. 112. omnino jus quoddam singulare, quod a priori constitutione Nov. 4. generaliter loquente, paulatim recedere jubet IMP. JUSTINIANUS, decisum, legimus. Hinc neutiquam illud,

si ju-

z) Vid. FRANZK. c. I. n. 36. cuius verba, cum hoc faciant, adponere juvat, ibi: *Nec obstat, quod supra de inhibita libertate servi specialiter hypothecati & manutinisci, at & invaliditate alienationis contra pacium adjectum factum, allatum est: Dum enim utriusque hypothecae comparatio sit, illud potissimum, quoad jus persequendi, intelligitur, & hoc innuitur, quod hypothecaria non minus Creditori competat in hypotheca generaliter, quam specialiter constituta, & quod utrobique res alienata transeat cum sua causa & onere. Inde tamen non sequitur, quod proper cervos respectus, ubi diversa quadam ratio fibet, nulla sit differentia admittenda, qualis quidem diversitas est in ali. exemplis &c.*

a) Teste JO. OTT. TABORE Tractat. Vol. II. p. 268. §. 1.
& III.

si justas regulas hermeneuricas adhibere velimus, ad omnes hypothecas speciales extendere, sed verbis, uti interpretationem, Legislatoris menti convenientem, recipiunt, inhærere debemus. Quamvis enim, ipso *Consultissimo Viro* non negante, beneficium ordinis seu excussionis, quod aequivalentibus tantummodo verbis, in *cit. Nov. 4.* concessum extat, per aliam legem, iterum abrogari possit; id tamen in *Nov. 112.* per ea, quæ antea proposui, argumenta, factum esse, negamus. Unde omnibus ejus, aliorumque dissentientium a nobis, argumentandi rationibus, nondum evictum vidimus id, quod in quæstione est.

§. XIII.

Miror autem *Consulti. Virum* c. l. §. VI. dicere, se scire, a dissentientibus urgeri, *Nov. 112.* loqui de hypothecis litigiosis, quod præter Rubricam Novellæ, ipsa etiam Novellæ præfatio, & primum caput edoceat, ut adeo, si vel maxime ordinis beneficium in possessore tertio, specialis pignoris, cesseret, id ad litigiosum pignus restringi debeat. Verum enim vero, præterquam, quod nullum me legiſe memini, qui d. *Novellam* ita explicarit, Juris interpres, litigiosas hypothecas haud dari, superius ostendi; nempe d. *Novell. 112.* in illo tantummodo casu, impeditre & prohibere, quo minus beneficium ordinis seu excussionis adversus creditorem, hypothecaria actio ne tertium convenientem, valide opponi possit, si lis b) quæ-

b) Quanam autem ratione lis quædam heic suborta dici possit, per superius dicta §. VI. in nor. patet. Eandem quoque *Nov. 112.* c. i. interpretationem addit PAGENSTECH. c. i. p. 213. verf. scilicet &c. Quibus verbis, cum ipse, item inter debitorem & Creditorem ortam esse, faceatur, neutiquam conspirare videntur ea, quæ antea dixerat. Nam si item, prout fieri necesse est, præsupponit,

quædam de pignore & hypotheca, inter Creditorem & debitorem, suborta sit, & rem alii, inscio vel invito creditore, iterum vendiderit debitor, emtorque sciens, eam pignori, vel hypothecæ subjectam esse, non id operam dederit, ut creditor ex pretio, pro re vendita soluto, satis fieret. Neutquam vero inde colligere licebit, nos spuriæ interpretationi, cuius ab ipso Viro Consultissimo accusati fuerunt dissentientes, statim subscribere, & statuere, d. Nov. juxta res litigiosas, etiam exponere hypothecas; cum tamen contraria IMP. JUSTINIANI mens, quod tales concedere haud velit, ex ipsius verbis elici possit, dicentis ibidem : *Ab hoc autem litigiosi vocabulo hypothecas separari decernimus.* Quæ verba cum ita plana sint atque perspicua, ut securi sentire haud permittant, eo majorem admirationem in nobis excitavit, quod *Consulit.* PAGENSTECHERUS, pro dissentientium argumentandi modo, falso allegavit, illos d. Novell. 112. de hypothecis litigiosis interpretari, cum quilibet, primo statim intuitu, contrarium ibidem dispositum esse, facile videre queat: Ceterum, quod nobiscum sentientes, ad probandam suam interpretationem, provocare dicuntur ad rubricas, & Novellarum inscriptiones, non erit, ut sub hoc quoque tegmine, sententia nostra impugnetur; cum nullius plane momenti c) sit, & nos, quod ad earum probandi vim, qua

polle-

de speciali simul casu d. Novell. loqui, in coequo tantum, non etiam reliquis, beneficium excussionis cessare, innuit, ut tam acuti JCTi verba non adeo cohærente videantur.

- c) Constat enim argumenta ex rubricis & inscriptionibus desumpta, valde esse lubrica, atque debilia, per not. HUNNI ad TREUTL. I. Disput. 13. rh. 13. fio. HILLIG. Lib. 19. DONELL. ENCLEAT. 14. l. aa. HART. PISTOR. II. Quesit. 36. num 34. cum JUSTINIANUS IMP. sepe angustiores, aliquando etiam prolixiores & inanes plane, rubricas suis titulis & constitutionibus præfixisse videatur.

pollere plerumque judicantur, attinet, idem dicere oporteat.

§. XIV.

Denique omnibus, interpretationem suam probandi argumentis, subjiciunt maximum sua intentionis firmandæ pondus, communem nimirum Dd. scholam hanc ipsorum sententiam adprobasse, sepiusque ira, in COLLEGIIS JURIDICIS, pronunciatum fuisse. Et sic sibi, accurate rem acutetigisse, firmoque adversus secus sentientes clypeo se tutos reddidisse, persuadent. Quibus deinceps, tanta ipsorum auctoritate freti, adstipulantur ii, qui causas in foro orantes, legibus, earumque argumentandi exinde rationibus spretis, ad hujusmodi asyla confugiunt, indeque victoriam sibi certo pollicentur. Quæ cum omnia, apud solidos causarum Patronos, si ad JICTORUM responsa & eorum, quibus assident, COLLEGIORUM præjudicia provocare velint, omnino hodie rem non conficiant, ita, magnam quoque præconceptas istiusmodi Dd. opiniones, jam olim apud Romanos, auctoritatem habuisse, videmus ex l. 2. §. 47. ff. de O. J. j. §. 8. I. de J. N. G. & C. ubi IMP. inquit: *Qui Icti appellantur, quorum omnium sententiae & opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici non recedere licaret, d) ut est constitutum; ipsam tamen imminutam postea a JUSTINIANO, invenimus in l. 12. C. de LL. ibi, Si enim in praesenti LL. condere soli Imperatori concessum est, &*

F

LL.

- d) Ut adeo vim legis habuisse videantur, quam tamen recte JCTorum Responsi denegat PERILLISTR. L. B. de LYNCKER in Anal. ad LOCAM, Inst. tit. de Jur. Nat. Gent. & Civ. §. 8. Neque enim, inquit, jus respondendi, enjusque Responso, vim legis conferat. Tribuit vero iam, antequam Justinianus Responsa in ff. retulit, Theodosius sententiis potiorum inter illos vim legum. l. 1. Cod. Theodos. de Responf. Prudent.

LL. interpretari solo dignum imperio esse oporteat. Quibus verbis, si dubii, circa LL. ab ipso lata, casus in foro emergant, Juris vero interpretes in iis decidendis convenire non possint, sibi soli, ad evitandos eorum dissensus, jus decidendi reservavit; nulla alia ratione forsitan motus, quam, quod innumeris & infinitis litibus, ex tanta opinionum vicissitudine ortis, imperiale suam auctoritatem diminui videret, ipsumque, ne consilia atque prudentum interpretationes plus LL. valerent, metuere oportet. Ast vero, in ea postmodum Jurisprudentia incidit tempora, ut, cum glossa auctoritas, Jurisconsultorum opiniones, aliae fori observantiae, in lucem prodire coepissent, vix millesima LL. civilium pars apud illos, qui juri reddendo præpositi erant, quicquam valeret. Nulla tamen eorum, qua ad maximum jurisprudentiae interitum facere videntur, habita ratione, eadem adhuc via incedere student, qui, dum haud genuinis jurium Romanorum fontibus se imbutos sentiunt, aliorum opinionibus e) indulgere, easdemque ceu indola colere necesse habent; non reputantes, infinitas interdum lites, innumeris Dd. sententiis protractas, faciliori omnino ratiōne, vera ac solida LL. applicatione, quam genuina earum interpretatio juvat, ad finem perduci posse. Sed nihil secius cum aliis, tum *Consul.* PAGENSTECHERO ad communes Dd. opiniones provocare, eorumque consensu contraria nobis opinionem firmare, placuit. f) *Quemadmodum* vero priores

e) Reste enim TABOR *Tractat.* Volum. I. p. 755. de indole atque natura Prajudiciorum judicat, dicens: *Non sequitur: Judicatum est in causa tali, ergo ex causa tali.*

f) Ne vero & nostris argumentandi rationibus Dd. testimonia deesse videantur, consentientes legi possunt: ILLUSTR. DN. de COCCEJI, *Jure Contr. de Pignor.* Qu. 14. DN. PRAESES Part. I. Obsrv. 130. ubi Mense Jul. 1686. in causa Dorotheen Peischin und Con-

priorum ipsius rationes, quas suo ordine supra examinavimus, non evicerunt id, quod debebant, ita multo minus auctoritatibus eam probandi vim adjungere poterit, ut nostra argumenta, quae genuinis Novellarum textibus & regulis hermeneuticis convenire demonstravimus, penitus elidere queant.

§. XV.

Ceterum *Consult. Vir IRNERIUM* in auth. *Hoc si. C. de pign.* erroris accusandum esse putat, quod in d. auth. nullam, inter hypothecas generales & speciales, distinctionem adhibuerit, quæ tamen, in beneficio excussionis, non eodem modo, ex utrisque, competente, necessario observari deberet. Ast vero, cum constet, authenticas, Codici ubique insertas, secundum illas Novellas intelligendas esse, ex quibus sunt excerptæ, g) neutiquam Irnerius errasse videtur. Cum enim *Nov. 4. c. 2.* ex qua illam authenticam desumptam esse, omnes consentiunt, generaliter, prius principales debitores excutiendos esse, quam ad reliquos de-

F 2

ve-

sorten, contra Christoph. Weickerten, a Facult. Jurid. Vitemb. pronunciarum fuisse, meminit: *Dass die Klage, wider Bell, noch zur Zeit nicht statt hat, sondern vor allen Dingen Henning Ernst Jenischens Erben ausgezweiten; ita quoque Mens. Jan. 1687. ad consultationem Christian Sturm Graeffi, Soimischen Secret. STRUVIUS S. J. C. Ex. 28. tb. 88. in *Jurispr. for. Lib. II. Lit. 35. §. 20.* LAUTERB. Coll. Th. Præf. de Pign. & Hyp. §. 74. & Comp. ff. p. m. 404. SANDE Lib. I. Tit. 12. Decis. 4. PHILIPP. Lib. 4. Ecl. 48. HERTIUS in *Diff. de differ. pign. general. & Spec. c. V. §. 8.* Add. *Magnif. DN. MENCKEN.* in Th. & Pr. ff. Tit. de pign. & hyp. ubi equidem *Nov. 4. c. 2.* per *Nov. 112. c. 1.* non derogatum fuisse, putat, nihilominus tamen, in contrarium sententiam propendere Fori nostræ observantiam, testatur.*

g) Ita recte sentit RITTERSHUS. ad *Nov. Prooem.* c. V. n. 3. p. 34. & P. XII. c. 4. n. 8 etiam si dissentiat ILL. DN. L. B. de LYNCKER. in Anal. ad *STRUVII S. J. C. Ex. 1.* §. 86. ibi. Utique authenticis, in quibus aperte videmus recedi a Novellis, ad quas referuntur, fides & auctoritas pre Novellis tribuenda est; cum censeatur Auctor respxisse ad observantiam sui temporis.

veniatur, disponat, nec aliter in authentica constitui potuit. Illum equidem excusare iterum videtur §. seq. XI. d. auth. de sola generali, non etiam speciali, hypotheca loqui; quo sensu eam etiam intelligi debere, probat ex verbis: hypothecis, hypothecæ &c. cum hæ voces in unam singularem hypothecam non cadant, sed soli generali, utpote quæ plures hypothecas suo ambitu complectitur, apari possint: talem vero interpretationem verba d. auth. haud recipiunt, cum in Nov. 4. c. 2. quæ in omni, sive generali, sive speciali, hypotheca, excursionem debitoris, præcedere debere, innuit, per verba: *Et si nec ea hypothecis debitoris satisfiat, tunc demum intercessoris hypothecæ &c. &c.* non tam hypothecarum numerus, quam utraque earum species, nempe generalis & specialis, intelligatur.

§. XVI.

Stat itaque firmiter, omnibus adversariorum argumentis perspectis, iisdemque discussis, eorum adhuc sententia, qui nobiscum, beneficium ordinis seu excursionis possessori territo contra creditorem, sive ex generali, sive speciali hypotheca agat, competere, defendant. Nunc supereft, ut, quatenus in feudis, hypothecæ suppositis, ordinis istiusmodi beneficium locum inveniat, adhuc dispiciamus. Totum autem eo iterum recidit negotium, ut, utrum generaliter, vel specialiter, hypotheca constituta fuerit, observemus. Priori casu, si Vasallus, consentiente feudi domino, & reliquis agnatis, ita se obligavit: *Ich verschreibe Titio alle meine Güther/Lehn und Erbe;* nullum dubium est, quin feudi successor, seu aliis, ad quem feudum postea devolvitur, ut prius Vasalli debitoris allodium excutiatur, adversus Creditorem excipere queat; sin vero non sufficerit, in subsidiū demum feudi successor, qui possidet, satisfacere tenetur. Posteriori, si vasallus aliquam tantummodo feudi par-

partem, hypothecæ vinculo alteri obligatam, dederit, ex ea quoque, quam prioribus paginis absolvimus, controversia, factaque a nobis saepius all. Novell. n^o. c. i. genuina interpretatione, decidi debet. In Saxonia vero Elect., si vasallus debita contraxit, & Creditori de hypotheca prospexit, casus quosdam, ubi & in feudo beneficium excussionis locum habeat, in Part. II. Constat. El. XLVI. exceptos legimus, ita, ut agnati, simultaneæ investiti, aliqui, qui in feudum postea succedunt, nulla prævia heredum allodialium excussione, creditoribus satisfacere teneantur ; Nimirum si α) expresso domini & successoris feudalnis consensu debtor vasallus feudum, in crediti securitatem, hypothecæ subjecit. β) debitum contraxit, quo vel filii, sororesve dotem, aut probata illius illatione, dotalitium inde accipiunt, vel utilitas prædii feudalnis talismodi sumtibus promoveatur, aliaque prædia emanunt, tunc creditori ex feudo oppignorato satisficeri debet, h) & successor feudalnis, ut prius vasalli defuncti heredes allodiales excutiantur, quam ad ipsum deveniatur, neutquam excipere potest.

§. XVII.

Hæc sufficiant dicta de hypothecis, expressa partium conventione in creditoris securitatem constitutis, sequitur nunc, circa beneficium excussionis, quid juris sit, conspicere in illis, quæ a lege in majorem personarum quarundem securitatem immediate & tacite constitutæ sunt, hypothecis. Secundum jura communia res itidem, prout in ex-

F 3 pressis,

- h) Extra casus vero, in d. CONSTIT. EL. exceptos, non opus habet, ut beneficium excussionis utatur, sed penitus a solvendi obligatione immunis est, ob verba : Außerhalb solcher und dergal. Fälle sollen die Söhne, Agnaten, oder Mitbelehrte der verstorbenen Schuldt, von dem Lehne, oder auch aus desselben Abnützung zu zahlen, nicht schuldig sein. Vid. Dn. LANGGUT. in Animadu. ad. ILL. DN. de COCCEJI Hypom. Jur. Feud. p. m. 532. s^r. aliquie ab ipso citati, quibus Add. MEVIUS Part. IV. Dec. CXII.

pressis, omni dubio caret, cum semper, si LLbus alicui cau-
rum est, æque ipsi prospectum in jure censeatur, ac si pri-
vata conventione sibi cautionem constituerit. Ad hæc d.
Nov. 4. c. 2. omnes debitores principales, prius excuti, jubet,
quales sunt, in quorum bonis certis aliquibus personis,
(v. g. pupillis in bonis tutoris vel creatoris l. 20. C. de adminis-
tut. it. uxoribus in bonis mariti l. un. §. i. C. de rei uxori. a&C. &c.)
hypotheca legis provisione constituta est, & a quibus res, ita
tacite oppignoratae, in dictarum personarum maximum
præjudicium alienatae, actione hypothecaria repeti solent.
Quemadmodum vero hæc omnia sancti hucusque juris
habita fuerunt, ita solemni iterum Ordinationis Process.
Nov. i) publicatione, in Sax. El. abrogata sunt.

§. XVII

Omnibus itaque, in quibus, ordinis beneficio, ter-
tio possessori, tam in generali, quam speciali, hypothe-
ca competente, uti licet, casibus consideratis, instituti nostri
ratio subjungere postulat limitationes, quæ, illud non ubi-
que locum invenire, permittunt. Cessat enim id I) si debi-
tor & fidejussor notorie non sunt solvendo, arg. l. ii. §. 12. de
a&C. emt. vend. cum inanis sit excusso, quam excludit debi-
toris inopia. k) II) Si emtor, sciens, rem oppignoratam
assumit, & non id operam dedit, ut creditori ex pretio
fuerit

- i) Nimur ad TIT. XLV. d. ORDIN. NOV. ita de hypothecis di-
spositum legimus : Die Hypothecas' tacitas, weil dadurch große
Gefahrde, und besonders bey concursibus creditorum vieler Hause-
halt verursacht werden, wollen wir hiermit gänzlich aufgehoben haben.
Hinc totus ff. titulus, inquitibus causis pignus vel hypotheca tacita
contrahitur, penitus omni usu in Saxonia El. desstituitur, &
quaestio de beneficio excusis, hisce paginis ventilata, ad ex-
pressas solutes hypothecas, spectat.
- l) Hanc vero inopiam, si de ea non constet, probare tenetur creditor, quod
plerumque sit per vicinorum famam, aut juramenti paupertatis præ-
stationem, quo, se non amplius solvendo esse, confirmare debet.

fuerit satisfactum, quod ex Novell. II. supra §. V. & VI. prolixius a nobis demonstratum fuit. III) Si debitor principialis propter absentiam, vel aliam causam, difficilis conventionis factus est, arg. Nov. 4. c. 1. j. c. 2. vers. Eodem. arg. L. 2. ff. qui satisd. cog. l. II. in f. ff. de V. O. 1) IV.) si hypotheca creditori, cum pacto de non alienando, quæsita est. arg. L. 7. §. f. ff. de diſrah. pign. m) V.) Si per constitutum possessorum debitor, nomine creditoris, pignus possideat, arg. L. 18. ff. de acquir. vel poss. l. 6. §. f. ff. de precar. l. f. C. de acquir. vel retin. poss. VI.) Si creditor in alienationi rei, hypothecæ nexus obligatae, consensit, jus tamen pignoris sibi solum reservavit. Plures equidem casus, in quibus ordinis beneficium cessat, subnectere possem. n) Sed nec instituti mei ratio, nec exceptionum natura, cum reliqua fidejussores, aliosque, non vero hypothecarum possessores, concernant, eas adducere permittit.

§. XIX.

Excusso vero principali debitore, vel deficiente penitus beneficio excissionis, statim actione hypothecaria itur ad rei oppignoratae possessorem, qui illam absque ulla


inter-


- l) Cum sic paria sint, debitorem non esse solvendo ratione facultatum, vel non esse solvendo, ratione conveniendi facultatis. Vid. GAIL. P. II. Obj. XXVII. p. 25. LAUTERB. Coll. Th. Pr. de pign. & Hyp. §. LXXV. aliquie ibi citati, MEV. Part. IV. Decis. CACI. num. 5.
- m) Dubitat B. STRUVIUS S. J. C. Ex. XXVI. §. 38. hanc limitacionem rationi d. Nov. 4 c. 2. convénire, sed non opus est, cum arg. Nov. II. c. 1. omnis hypothecæ alienatio, in fraudem creditoris facta, irrita sit.
- n) Addunt hisce alii, quod exceptio ordinis seu excusionis opponi nequeat a possessore hypothecæ, si hic rem hypothecatam tituloclarifico adquirit, sed recte hec limitatio ab ILLUSTR. DN. de COCCEJI Jur. Contr. Tit. de pign. & hyp. Qu. 14. rejicitur, quia excusionis exceptio generatim data est, possessoribus ex singulari quamdam aequitate, ideo non excludendus ab ea quisquam sine lege, teste MEVIO Part. VIII. Decis. 397.

interposita mora, creditori restituere o) quidem tenetur, ex persona tamen debitoris, seu sui creditoris, exceptio-nes Creditori, actione hypothecaria agenti, opponere pot-est, cum quoad retentionem & jus excipendi, non etiam quoad jus pignoris & hypothecariae actionis, suo venditori succedat. p) Et haec sunt, quæ de beneficio excussonis seu ordinis, ex Novell. n^o. 12. c. 1. speciali solum casu ibi-dem excepto, semper competente, aliisque, quæ circa illud præcipue annotanda erant, differere apud animum constitueram. Quæ, ex mediocri ingenii mei modulo profecta, ut aqui bonique consulas, &, non omnia posse omnes, tecum reputes, abs Te B. L. peto. Plura equi-dem, ob materiae hujus, in foro maxime utilis, prolixitatem, in medium proferre potuisse, sed, brevitas studio ductus, in potioribus argumenti hujus capitibus, acquiescendum esse, existimavi.

F I N I S.

-
- o) Non vero, loco restitutionis, ad debitum solutionem a creditore adigi potest, cum minus recte actio hypothecaria adversus tertium possessorum alternative instituatur, quam tamen, ita conceptam, defen-dunt PERILLISTR. DN. de BERGER *Refol.* LAUTERB. p. 903. *sqq.* GAIL. Part. I. Obf' 62. n. 8. CARPZOV. P. I. *Conf.* II. *Daf.* 9. n. 1. B. TITIUS *Jur. Privat.* Lib. XII. c. 2 §. 12. Nam, etiam si ter-rius possessor, debitum offerendo & praestando, liberetur, & ipsi pre-terea res hypothecata relinqua sit, I. 16. §. 3. *ff. de pignor.* I. 12. §. 1. quib mod. pign. solv. tamen ad hoc conveniri nequit, ut solvatur, quia ad id non obligatur. Tolerari tamen adhuc posset petitio: Dass er das verpfändete Haup^t Klägern einräumen solle, er möge dem freiwillich die daraus hoffende Schuld bezahlen. Conf. PERILLISTR. DN. de BERGER. in *Oecon. Juris.* p. m 537. Dn. BOEHMER. *Tr. de action. Sect. II.* c. 3. §. 98. in *not.* Imo hodi talis libellus, in Sax. El. simpliciter sustinetur. Vid *Ord. Proc. Nov.* t. 5. §. 2.
- p) Vid. FRANZK. c. l. n. 89. H. HARTM. ab EPPINGEN *Lib. II.* *Observ. Praet.* III. p. m. 310.





Wittenberg, Diss., 1725

ULB Halle
004 775 759

3



f



n364. 1724 29 27

J. J.
DISSERTATIO JURIDICA IN AVGVRALIS
DE
BENEFICIO ORDINIS
SEV
EXCVSSIONIS
POSSESSORI EXTRANEO ADVERSVS
CREDITOREM, SIVE EX GENERALI, SIVE
SPECIALI, HYPOTHECA AGAT,
CONTRA SPVRIAM
NOVELL. CXII. CAP. I.
INTERPRETATIONEM, COMPETENTE.

QVAM
PRAESENTE
DN. JO. BALT. WERNHERO
JCTO
POTENTISSIMO POLONIARVM REGI ET SAXONVM
ELECT. A CONSILII AVLAE ATQVE JVSTITIAE,
ORDINARIO ET ANTECESS. PRIMARIO ETC.
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQUE JVR RE HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALLA
CAPESSENDI
IN AUDITORIO MAJORI
AD D. FEBR. M DCC XXV.
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS
IN PVBLICO ERVDITORVM CONSESSV
DEFENDET
AUTOR
JO. CHRISTOPH. PFRETSCHNER
OELSNITIO VARISCVS.
VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.